



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

23. Ad quid se extendat suspensio ordinis Episcopalis? Et inter alia
quæritur, an si Episcopus ita suspensus celebret in Pontificalibus, incurrat
irregularitatem? Ex p. 5. tr. 10. res. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. n. 4. & Mercerus de Sacram. in 3. p. q. 2. 4. dub. 3. ubi sic ait: Notandum Episcopum à beneficio suspensum posse beneficia conferre; quia hæc collatio non pertinet ad fructus Episcopatus, propterea improprie dixit gloss. in c. cum olim, de majorit. & obed. neque est actus dominii, vel beneficii, ut beneficium est, sed officii & jurisdictionis, ut habet gloss. in c. transmissam, de elect. in 6. sic etiam suspensus à beneficio non privatur actu eligendi competente propter beneficium quia electio non est fructus beneficii, neque actus ejus ut beneficium est, sed officii spiritualis, cui annexum est ipsum beneficium. Dicendum est igitur quod collatio, & electio non proprie numerantur inter beneficii fructus, quorum perceptio suspensio interdicta est, cum potius sint actus officii, & quasi jurisdictionis ratione beneficii competentis. Quamobrem Canonis auctor cum ab utroque tam beneficio, quam jure eligendi, suspendere vult, id ipsum exprimit, ut videre est in cap. cum in cunctis, §. ult. de elect. Si ergo in canone non exprimitur, non est cur extensionem faciamus in materia pœnali, & ita præter Doctores citatos hanc sententiam sustinet etiam Philippus Faber de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. dist. 6. cap. 1. n. 29.

RESOL. XXI.

An suspensus à beneficio privetur fructibus pensionis collata titulo Clericali? Ex p. 5. tr. 10. Refol. 15.

§. 1. **A**ffirmative respondet Suarez dist. 27. sect. 1. num. 15. & Filliucius tom. 1. tract. 17. cap. 3. num. 42. ubi sub nomine beneficii comprehendit omne genus beneficii, sive sit simplex, sive curatum, sive dignitas, &c. etiam pensionem quæ datur ex titulo spirituali, & Ecclesiastico ratione Clericatus, non autem ea quæ sine tali titulo conferri solet laicis. Sed contrarium docet Alterius tom. 2. dist. 4. cap. 1. ad finem. Megalius in 3. p. lib. 5. cap. 1. quest. 1. n. 5. quia pensio non est beneficium, unde utramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. XXII.

An Episcopus censura ligatus tempore, quo Episcopatum recipit, incurrit suspensionem? Et discutitur, an Episcopatus sit Ordo? Ex p. 5. tr. 10. Refol. 41.

Sup. hac quæst. an Episcopatus sit Ordo, latissime in 10. 4. tr. 8. Ref. 1. 2. & 3.

§. 1. **A**ffirmative respondent Doctores, qui tenent Episcopatum esse Ordinem, quos citat, & sequitur Sanchez opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 9. num. 2. & 3. cum Palacio in 4. sent. dist. 24. q. 2. Bellarm. lib. 1. de Sacram. Ord. cap. 5. Navarro c. 2. n. 18. Valent. tom. 4. dist. 9. q. 1. punct. 4. Granado de Sacram. in 3. p. contr. 9. tract. 1. dist. 2. n. 15. Præposito in 3. p. q. unic. de Sacram. Ord. dub. 6. Valquez tom. 3. dist. 24. cap. 3. Fornario de Sacram. Ord. cap. 1. Coninch de Sacram. dist. 20. dub. 2. n. 9. Emanuel Sa verb. Ordo, n. 7. & aliis: nam qui recipit aliquem Ordinem censura innodatus, suspensionem incurrit, ex cap. cum illorum, de sent. excomm. 2. Verum quia contrariam sententiam, nempe Episcopatum non esse Ordinem tenet cum D. Thom. in 3. p. q. 40. art. 5. Schola Patrum Dominicanorum, ut Nugnus loco cit. Sotus de Inst. lib. 10. q. 1. art. 2. & in 4. dist. 24. q. 2. art. 3. Ledesma de Sacram. Ord. dub. 5. & seqq. Viguierius in inst. cap. 16. §. 6. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 8. Sylvestro verb. Ordo, 1. q. 1. dub. 3. Ferrar.

contra Gentes lib. 4. c. 76. Tabiena verb. Episcopus, & alii. Ideo puto probabiliter cum Bonacina de cens. dist. 9. punct. 5. §. 1. n. 11. à suspensionem eximi posse illum, qui Episcopatum recipit tempore, quo censuræ vinculo detinetur, quia, ut dictum est, ex mente supradictorum Auctorum Episcopatus non est Ordo: ergo.

RESOL. XXIII.

Ad quid se extendat, suspensio ordinis Episcopalis? Et inter alia quaritur, an si Episcopus in suspensionem incurret in Pontificalibus, incurrit irregularitatem? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 4.

§. 1. **A**d hoc dubium ita Respondet Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. c. 1. n. 6. Suspensio ab Ordine Episcopali extendit se ad eos actus tantum Ordinis, qui Episcopo proprii sunt, & Sacerdoti jure ordinario competere non possunt; cui affinis est suspensio à Pontificalibus, per quam per se ac directe prohibetur usus insignium Episcopatum videlicet mitræ, baculi, & pallii; per accedens verò & consecutivè omnia Episcopalia solemnia officia, quæ sine ejusmodi insignibus exerceri non debent, qualia sunt Ordines conferre, confirmare, Ecclesias, Altaria, Virgines consecrare, &c. secundum gloss. in Extravag. suspensio regimini, vers. à Pontificalibus. Sayrum lib. 4. c. 4. n. 14. Interim tamen concessum est Episcopo ita suspensio Missam privatam sine Pontificalibus celebrare, confessiones audire, jurisdictionem forensam exercere. Vide etiam Filliucium tom. 1. tract. 17. cap. 2. num. 27.

2. Sed difficultas est an, si Episcopus celebrat in Pontificalibus, incurrit irregularitatem? Mihi placet opinio negativa Joannis Præpositi in 3. p. q. 3. de susp. dub. 2. n. 13. ubi sic ait: Cum quis suspenditur à certo Ordine, per hunc modum interdiciuntur omnes functiones illius Ordinis: ut si quis suspendatur ab Ordine sacerdotali, prohibetur omnis functio propria Sacerdoti, v.g. sacrificium Missæ, collatio Extreme-Unionis, benedictio sponsæ, aquæ lustralis; si quis suspendatur à Pontificalibus, prohibetur etiam Ordines minores conferre, confirmare, templa, calices, chrisma consecrare, populo solemniter benedicere, non potest in Sacro, &c. uti apparatu insignium Pontificalium, ubi tamen adverte juxta communem sententiam non incurrit irregularitatem, si Sacram cum tali apparatu faciat, eò quod sacrificium non sit munus Episcopi ut sic, Sed Sacerdotis, cujus exercitium per suspensionem ei non interdictum. Ita ille, & ego, quicquid in contrarium asserant Doctores, quos citat Riccius part. 4. decis. 30.

RESOL. XXIV.

An Episcopus primam Tonsuram conferens sine propria Episcopi licentia incurrit penam suspensionis latam in cap. eos de temp. Ordin. in 6. Et supponitur, quod si Episcopus scienter, vel cum effluata ignorantia presumat ordinare Clericum alienum sine sui Ordinarii licentia, est suspensus per annum à collatione Ordinum. Et an, si Episcopus primam Tonsuram laico alterius Diocesis conferat, incurrit suspensionem collationis Ordinum, vel tantum à collatione prima Tonsuræ? Ex p. 3. tract. 4. Ref. 193. alias 194.

§. 1. **S**uppono cum Suarez 10. 5. de cens. dist. 3. 1. sect. 5. Toletum lib. 1. c. 8. n. 4. Sayro de cens. lib. 4. cap. 13. num. 13.